



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvat̃is, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

63. Dominica Sexagesimæ. De mißione Domini Iesv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Dominica Sexages. 101

nimis remotus à patiente Filio tuo: agnosco reatum meum, detestor culpam meam, gaudeo te supplere vices meas, offero me tibi ad compatiendum. Obsecro per illos septem tortores tuos, has septem gratias. 1. Repraesentari mihi bonitatem Passionis Filij tui. 2. Dari ejus meditandi donum. 3. Vivam agnitionem. 4. Respondentem amorem. 5. Proportionatum dolorem. 6. Similem sensum internum. 7. Et externum.

MEDITATIO LXIII.

Dominica Sexagesimæ,

De missione D. IESU.

Aspiciam Dn. JESUM, legatum DEI, quem DEVS legavit ad homines docendos, Deoque per vivam Fidem reconciliandos. Petam ei ex toto obsequi.

Conf. 1. Quòd tota vita Christi fuerit Apostolatus, seu missio, sed difficilis ac laboriosa, utpote ad homines malos & contumaces: Cujus fructus non tam ipse ante mortem sensit, quàm cum lacrymis semina misit. Messiem autem Discipuli ejus collegerunt, & adhuc colligunt, quos ipse de corpore suo & sanguine pascere non cessat.

Conf. 2. Quis non occurrat tanto Legato, qui venit, ut ignorantes doceat, ægris medeatur, mortuos excitet: *Veni, inquit, Ioan.*

10. ut vitam habeant, & abundantius habeant.
 Veni D. IESU, ut vitam habeam, & abundantius habeam, imò & abundantissimè habeam; quæ nulla morte exhauriri possit, eadem leni semper fluat agmine; sit vivacissima, sit tacitè labens, ut aquæ Siloë in silentio fluentes: Ut flamma sursum semper tendens, non strepens, nec fumans, ut ignis celestis, ipsique coeli semper se moventes sine strepitu. Ut à vinculis peccatorum redimat vincetos; vitam æternam det mortalibus, Filios hominum Filios Dei faciat, ac hæredes suos autem cohæredes: Abscondat vitam nostram cum Deo immortali, ad quem mortuus non habet accessum: Ignem concupiscentiarum extinguat, ignem amoris sui ut oleum accendat. Ut quasi cum lacte omnem Puritatem ac Matris ingenuitatem, veritatem, & similitudinem fugam, dum eum in SS. Eucharistia sub accidentibus, velut Reliquiari inclusum, suscipio: Cujus una in parte inter spinas & vites insculptum: *DEVS verus*: in altera: *Consecratione*: qui à D. Gerer. nominatur. *Vapor amoris*. L. 3. c. 10.

MEDITATIO LXIV.

Feria 2. Dominica Sexages.

De duobus comitibus D. IESU, dolore

& amore.

Au.